

JACOBI MASENII

PANEGYRIS HEROICA

IN LAUDEM

CAROLI QUINTI,

ROMANO - GERMANICI IMPERATORIS,

RECOGNITA, ELIMATA

ET NOTIS INSTRUCTA

A

MARTINO SPAN,

PROFESSORE VIENNENSI.

VIENNAE

TYPIS SCHRAEMBLIANIS

1828.

Πολιτεία τροφή ἀνθρώπων ἐςὶ· καλὴ μὲν ἀγαθῶν, ἡ δὲ ἐναντία κακῶν.

Πλάτων.

Societatem civilem recte humani generis seminarium dixeris: quod si bonis legibus institutum sapienter curetur, bonos, sin perperam, malos educat homines.

Plato.

CELSISSIMO CAESARI,

SERENISSIMO ARCHIDUCI

FERDINANDO,

AUSTRIACAE JUVENTUTIS PRINCIPI,

SACRUM.

CELSISSIME CAESAR,

SERENISSIME ARCHIDUX,

AUSTRIACAE JUVENTUTIS PRINCEPS.

Caroli V. Panegyrim, quam Leopoldus I., tunc Austriae heres et Hungariae rex, a poëta sibi dicatam benevolenter accepit, denuo a me editam, Tuoque sacratam Nomini, aeque benignis manibus accipias rogo. Videbis opus non modo Tuae gloriosum prosapiae, sed insuper Te, Austriacae juventutis Principe, summo opere dignum; continet enim, quo altius menti infigantur, amoenissimis poësios coloribus adornata artis regiae praecepta, quibus fideliter servatis Principes tam populos suae fidei creditos ad felicitatem, quam se ipsos ad summam nominis gloriam provehant, a popularibus tenerrime amandi, ab extraneis admirandi, ab omni demum posteritate aeternis laudibus concelebrandi; illa, inquam, divina rationis et revelationis praecepta, quorum vigentium saluberrimos fructus, et contemtorum funestissimas sequelas partim Tuis vidisti temporibus, partim jam tenera tum aetate, cum antiquorum populorum historias Tibi enarrandi munere mihi ju-

cundissimo fungerer, auspicali sagacitate animadvertere nunquam destiteras. Quae cum, virilem aetatem ingressus, eo ferventius amplexari praeoptas, quo magis, quanti sint momenti, nobili animo perspicias: merito summam, Serenissime Archidux, de Te spem succrescens posteritas concipit, augurans fore, ut Nomen Ferdinandi in annalibus Austriacis denuo justitiae vigore, sapientiae cultura, et populorum felicitate clarescat.

Inter Majores Tuos, Celsissime Caesar, Carolus V. magnis eminuit virtutibus. In hoc et fortuna et humana natura, quid efficere possint, videntur expertae. Nam sors omnino singularis illi, nondum sextum et decimum annum egresso, Castellae et Aragoniae regna cum Neapolitano, Siciliae et Sardiniae regnis, super-addito novo terrarum orbe, gubernanda detulit, quibus sequente insuper anno, post avi Maximiliani fata, Austriae ac Burgundiae amplissima dominia, et Germaniae diadema imperiale adjunxit. Verum cum a Marga-

rita Austriae, amita, et Margarita Eboracensi, Caroli Pugnacis vidua, mulieribus pietate praestantibus, morum decore imbutus, a viro scientiarum disciplinis tunc temporis celeberrimo, Adriano Ultrajectino, postea summo Pontifice, litterarum studiis erudiretur: Paulo Jovio, ejus temporis aequali, Heutero aliisque testantibus accidit, ut ablegato in Hispaniam Adriano, variis distentus negotiis, litteras Latinas, quas quidem usque eo hauserat, ut pro aetate Latinum satis expedite loqueretur, tertium post lustrum, licet nondum ad plenam antiquae litteraturae scientiam progressus, relinqueret; quod postea multorum populorum dominus, cum usu experiretur, quantum scientiarum opus esset sapienter regnanti, nihilque difficilius esse sentiret quam bene imperare, saepius indoluisse fertur, dictitans, recte ab Adriano praemonitum, fore, ut se litteras Latinas maturius deseruisse poeniteret: hanc sibi veritatem sero dolore sentiri. Sed tanta erat in hoc principe divini animi indoles, ut sola

Historicorum recentiorum, quorum varias linguas probe noverat, et Latinorum illius temporis lectione informatus, a primo ad regnum accessu, robore mentis viros, atque in rebus gerendis prudentia senes antecelleret, mature sibi a Chevrio nutritio persuasum habens, quod Diodorus Siculus ait: nihil utilius principi jucundiusque posse cogitari, quam in humanae vitae theatro, quod historia partibus omnibus mire instructum habet, sedentem, periculis aliorum sine suo periculo cautum sapientemque fieri. Postquam autem, toga sagoque totam per vitam strenuus, rebus domi belique sapienter et fortiter gestis inclaruerat, ingruente magis necessitate ad bella compulsus, quam sua sponte procurrens: inclinante tandem aevo, ad summum gloriae fastigium inter mortales elatus, Diocletiani exemplo, Romanorum imperatorum fere maximi, ad vitae privatae tranquillitatem recessit, humanae vanitatis contemtor.

Jam olim a prima juventute in Carolo V. ejusque fratre Ferdinando I. vidisti perfectam eximii principatus imaginem, inde discens primarias boni regis virtutes, fidem nimirum et justitiam colere, concreditae populorum saluti invigilare, in eligendis ad res gerendas indigenis, quibus idoneis extraneos anteferre boni principis non est, ad intimos humani pectoris recessus penetrare; ab adulantium, qui junctis plerumque fraudibus regum famae insidiantur, machinamentis cavere; superbiam improborum contundere, restringere vitia, nullo personarum discrimine in scelera animadvertere, amplexari veritatis amicos, innocentiam et probitatem tueri, honestare virtutem, bene merita remunerari, et qualem Divinae justitiae notionem mortales sua sibi mente concipiant, moribus ostendere. Porro in Carolo, genuino animi regalis miraculo, quod Masenius non solum condigno hoc opere poëtico, sed historicis quoque scriptis egregie condecoravit, et aequitatis leges, et temperantiae moderami-

na, et clementiae consulta, et liberalis animi splendores, et ceterarum demum regiarum virtutum occurrunt exempla; quibus splendide praelucentibus cum privata ac publica pietate sis aemulaturus: futuro pariter tempore Austriacum nomen, congratulantibus patriae populis, felix faustumque florebit.

Tibi,

CELSISSIME CAESAR,

SERENISSIME ARCHIDUX,

devotissimus cliens

Martinus Span,

Prof.

PRAEFATIO

ET

VITA AUCTORIS.

P R A E F A T I O.

Quae denuo in lucem prodit Masenii Panegyris, continetur in ejus Palaestra orationis ligatae, Coloniae ann. 1654, et typis secundis 1661 edita, quam auctor conscripsit, pueros ad artem poëticam praeceptis et exemplis instituendi gratia. Cum ejus secunda fieret editio: Masenius in Colonia Agrippinae non videtur commoratus fuisse: certe typorum correctionem illum non suis ipsius oculis curasse in aprico est; nam ea ipsa editio (primam nunquam videre contigit) innumeris typothetarum erroribus deturpata squalet, integra desunt vocabula, sensus delitescit non nunquam adeo foedatus et mendorum tenebris obvolutus, ut vix Oedipo latentem evolvere liceat. Barbovius Panegyrim Caroli V. et Sarcotidem Parisiis anno 1771 recudit cum inscriptione Londini, nempe ut Anglos ad comparandum sibi poëtam praecellentem, qui in Sarcotide Miltono facem tam luculento exemplo praetulerat, eo certius alliceret. Sed pariter mendosissima est ejus editio, quamvis adspectu pulcherrima, nec curatam fuisse a viro Latinae linguae et poëseos satis perito, facile videbit, quem meam cum illa conferre non piguerit. Ut unicum addam exemplum, in editione Coloniensi ad finem Panegyreos typothetae incuria deturpati leguntur versiculi:

— Consulta ferunt oracula: Nunquam
Stantibus imperium Fernandis Tuisconis orat
Vertere, nec Gothicae submittere colla securi
Posse coronatam patriis virtutibus aulam
Austriadum.

Quos male tornatos una cum mendo typico orat pro aras Barbovius editor, nil suspicans mali, surda incogitantia exscripsit, sperans, quem ipse non caperet sensum, lectores esse capturos.

Quod plurimis recentioribus Latine scribentibus obvenire solet, ab hoc et Masenius, seductus libris scholasticis et asceticis, Latinitate barbara scriptis, cavere non potuit; itaque carminibus, admirabili imaginationis ubertate, ponderosa gravitate sententiarum et commendabili dictionis dulcedine jucundis, non nunquam immiscuit sermonem barbarum atque soloecum; cumque provectiori aetate, huic operi ultimam manum admovere aut non potuit, elucubrandis operibus historicis intentus; aut pietati unice deditus, lusus juveniles retractare noluit: meum esse putavi, non concedere, ut poëmata, lectu non minus jucunda quam utilia, sordibus foedata in tenebris diutius lateant. Igitur non facilem sustinens laborem, tam in Panegyri quam in Sarcotide barbarismos expunxi, minus Latina correxi, asperiora limavi, nimis luxuriantia resecui, deficientia supplevi, totumque opus ita comparavi, ut seculis felicioribus dignum appareat. Meum non est vanam ostentare gloriolam: qui meam editionem cum Barboviana comparaverit, quid mihi debeat Masenius, brevi intelliget. Utinam egregium hoc carmen sermonis Latini amicis placeat, nostrosque adolescentulos ab hodiernis lectiunculis, quae animum lectoris non sapientia et virtutis amore, sed omnium generum vitiis imbuere conantur, tandem aliquando deductos ad meliores lectiones atque ad severius linguae Latinae studium dulcedine sua invitet! Vindobonae mense Januario 1828.

Editor.

VITA AUCTORIS.

Jacobus Masenius, anno 1606 Dalae natus, Ducatus Juliacensis oppido, puer tredecim annorum Societati Jesu anno 1619 nomen dedit. Moris fuit apud Jesuitas, ut societatis alumnus, qui multum supra mediocritatem in studiis profecerat, vel ut hodiernae vanitatis magniloquentiam sequar, qui facto in litteris progressu multum eminebat, transactis in Societate sedecim annis ad tria vota, omnibus Religiosorum ordinibus communia, votum quartum adjungeret, qua religione obstringebatur, iturum se etiam nullo accepto viatico, quocunque terrarum ad propagandam fidem catholicam a Summo Pontifice mitteretur: quod votum et Masenius nuncupavit. Igitur ab hac societate, quae fuit viris piissimis pariter atque in omni scientiarum genere doctissimis quam fecundissima, litteris et pietate imbutus, Rhetoricam et mansuetiores litteras per annos ferme quatuordecim Agrippinae docuit, deinde aut praefectus scholis aut director sodalitati Marianae variis in locis praefuit. Erat autem Sodalitas Mariana pium Jesuitarum institutum, quo in Lyceis et Academiis adolescentuli litterarum studiosi ad colendum Deum diebus dominicis et festis convenirent, sacra concione, sermone Latino pronunciata, ad exercendam pietatem atque implenda Christicolarum officia a directore excitandi. Interea eum, docendi molestia liberatus, his muneribus fungeretur, otium quod supererat, in elaborandos libros historicos impendit. Ad ultimum acerbis diarrhoeae et dysenteriae doloribus conflictatus, eadem mentis pietate, qua vixerat, 75 annorum aetate, in Colonia Agrippinae 27 Septembris anno 1681 supremum obiit diem. Quo sinceri animi fervore varia vitae munera subierit, quam sapienter provectioris aetatis otio usus sit, varia et plurima commonstrant

opera, quae de rebus philologicis, theologicis, asceticis et historicis conscripsit, quorum plura typis repetitis fuerunt recusa. En historica: Anima historiae hujus temporis in juncto Caroli V. et Ferdinandi I. fratrum imperio repraesentata. Col. 1672. Antiquitatum et Annalium Trevirensium libri 25. Tom. 2. Auctorib. Christoph. Brouwero et Jac. Masenio. Leodii 1670 fol. Epitome Annalium Trevirensium. August. Trevir. 1676. fol. 8. Philologica: Palaestra styli Romani, artem et praesidia Latine ornateque dicendi continens. Col. 1659 f. 8. Palaestra oratoria praeceptis et exemplis veterum instructa. Col. 1659 f. 8. Exercitationes oratoriae joco-seriae cum analysi Orationum Ciceronis. Col. 1659 f. 8. Palaestra Eloquentiae ligatae, tribus constans partibus. Prima continet facilem methodum scribendi quovis stylo poëtico. Secunda, Poesim Elegiacam, Heroicam, Lyricam. Tertia, Comico-tragicam. Col. 1654 et 1661. Ars nova argutiarum epigrammatica et epigraphica. Col. 1647. 1660. 1687. f. 12. Familiarium argutiarum fontes. Col. 1660. et 1668. f. 12. Unde Gedickius hausit, quin furti mentionem faceret. Speculum imaginum veritatis occultae, exhibens symbola, Emblemata, Hieroglyphica, Aenigmata. Col. 1650 f. 8. Ejus opera theologica et ascetica in Bibliotheca scriptorum Soc. Jesu invenies, a Sotuello ad annum 1675 continuata, Romae 1676. Sotuelli historiam litterariam multo labore ad ultima usque tempora continuavit Exjesuita Antonius Eglauer, Linziensis, quod opus ut in lucem prodeat, magnopere exoptandum.

PANEGYRIS HEROICA

IN LAUDEM CAROLI V.

PANEGYRIS HEROICA

IN LAUDEM CAROLI V.

SUMMI ROMANORUM IMPERATORIS, HISPANIARUM REGIS, ET BELGARUM PRINCIPIS, AUSTRIACAE GENTIS EXIMII HEROIS.

Regnorum Princeps, Deus! quem terra patronum
Transalpina colit, prono Germania vultu
Audit, et occiduo veneratur Iberia coelo, 1)
Austriacae tutela domus! cui laurea Cyrrhae 2)
Sylva patet, funditque latex Aganippidos 3) undas,
Vernantesque Helicon thalamos ad carmina pandit.
Cedit Apollo tibi, citharamque inclinat et arcum.
Musarum tu plectra regis calamosque gubernas
Doctius, heroumque aptas praeconia chordis.
Vatis opus dextramque move, cui magnus Achilles

---

1) Iberia, quod vocabulum Hebraeum terram coloniarum significat, Hispaniae a Phoenicibus venit, qui in meridionalibus ejus partibus sedem fixerant. Eadem ratio Iberniae insulae et Iberiae in vicinia Caucasi nomen dedit.

2) Alter Parnassi bicipitis vertex, et Helicon Boeotiae mons, uterque Musis et Apollini sacer.

3) Aganippe, seu Aganippis pege, est fons Hippocrene, in Parnasso Pegasi ungula excussus.

Austriadum rarusque Heros exercitus armis
Carmen erit: notos poteris memorare labores,
Virtutemque artemque Viri, quam testis et aequus
Arbiter aetherio moderaris Numine praesens.
Tu mihi materies laudum es, dignissime Musis
Carole, Germanae decus immortale coronae,
Hesperiaeque 1) domus columen! cui Rhenus amorem
Debet et obsequium, Baetis famulantibus undis
Subjacet, Eridanus pronas substernit arenas,
Quem timet et Rhodanus, Scaldis prostratus adorat. 2)
Quae rara eximios in Te congessit honores
Tam larga Fortuna manu, quae sceptra tot uni
Contulit, Europamque tuo sub jure paventem
Jussit ad Austriacos vultum submittere fasces? 3)
Novimus; angelicae pandunt oracula voces.
Imperium pro Te virtus innata poposcit
Ambitione pia, tibi suffragatus avitae
Stirpis honos, Tibi fumosis palatia signis. 4)
Sed Fortuna, tuis longe virtutibus impar,
Et minus oblatis facunda pecunia donis
Emendicato pro Te potuere favore,
Divinae quam mentis opes. Suffragia dixit
Integritas, pretiumque tuum clementia adauxit,
Mitis adulatrix, populorum pectora mulcens.
Majorum superas titulos, fastosque potentum
Laude tua. Aeneam pietas per secula vexit
Postuma, trans aevi metas et flumina Lethes,
Nestora consilium, robur Chironis alumnum 5)

---

1) Hispania ob situm occiduum poëtae dicitur Hesperia.
2) Fluvii tropice pro terris Carolo obedientibus.
3) Fasces Romanis signum imperii.
4) Nobilitatis documenta apud Romanos positae in atrio majorum imagines, quo antiquiores et fumosiores, eo honestius familiam decorantes.
5) Achilles a Chirone Centauro educatus.

Victoremque Stygis 1); prudentia rara Catonem,
Pellaeum 2) Fortuna ducem super aethera, Famae
Cantatos sonitu, radiantibus intulit astris:
Te collecta levant, in Te cumulata feruntur,
Quae sparsim natura patrum diviserat aevo.
Tu super invidiae nebulas, dubiique favorem
Nutantem populi, Famae ludibria calcans,
Contemtum laudemque tui contemnere visus,
Nec sine laude tamen: velut Acroceraunia montes, 3)
Quos sive adversis Boreas Aquilonibus urat,
Seu leni circum Zephyrus spiramine lambat,
Seu mare tranquillum, seu despumantia cingant
Aequora, fortunam vultu patiuntur eodem.
Mens immota tibi est, nec inani volveris aestu,
Quae sors cunque premat. Spem cum formidine jungis,
Formido est conjuncta spei, fiducia nequid
Audendo praeceps, aut desperatio peccet.
Dicitur aequoreas Palinurus 4) forte per undas
Securam captasse viam, placidoque sopore
Transtra quieturis ausus consternere membris,
Cum subito unda furens praecepsque ruina jacentem
Volveret, ac medio finiret in aequore somnum.
Vidimus et pavidis sulcantem te aequora remis
Aestum inter tumidumque maris trepidare furorem,
Sed tamen ingentes animos opponere nautam,
Qui dubio portum tenuit discrimine victor.
Spe timor erigitur, Tibi spem moderare timore,
Tutius in medio est.

---

1) Hercules.
2) Alexander Magnus in urbe Pella natus, inde Juvenali dicitur Pellaeus puer.
3) Montes in Epiro, ob altitudinem fulminibus contigui.
4) Gubernator navis Aeneae, dum ad clavum sedens somno indulgebat, in mare delapsus periit.

Virtutibus quaedam vitia sunt vicina.

Virtus secura malorum
Hac tua sede latet. Multis prudentia laudi,
Sed vulpina, fuit; multisque profusio famam
Virtutis titulo peperit; constantia visa est,
Quae fuit elatae dura obfirmatio mentis;
Turpis avarities frugalis nomine vitae
Delituit; fortem dixit temerarius error,
Et castum qui cautus erat; gravitatis honorem
Saepe stupor, cautique dedit cunctatio nomen.
Incorrupta tuos extollit Fama labores,
Nec virtus tua vatis eget; mendacia vulgi
Transvolat, et celso figit vestigia coelo.

Prudentia regalis ejusque partes et officia.

Mens operum prudens, lapis ut tibi Lydius aurum,
Explorat, quaecunque manus facienda capessat,
Actaque suspenso digito componit agendis,
Et quodvis metitur opus. Sic impiger olim
Daedalus artifici labyrinthum condidit ausu,
Ante per ambages iter inflexusque viarum
Praemensus, lapides muris trabibusque ferendis
Aptavit, quo quaeque loco, quo surgeret apta
Ordine materies, quem Minotaurus honorem
Sede sua caperet, quas victima tingeret aras
Lectorum juvenum. Prius isthaec fabrica mente,
Quam manibus constructa fuit; nec regula muro,
Nec perpendiculum deerat, surgente columna.
Lex operis ratio est, solers prudentia factis
Est mensura tuis. Haec, quae veneranda vetustas,
Quae novitas laudata tulit, componit utrimque,
Ingenii fomenta sui.

Exemplis virorum fortium et doctrina Sapientum uti.

Juvat optima rerum
Mnemosyne custos 1); juvat exploratus Homeri
Aeacides 2); juvat Aeneam volvisse Maronis,
Quaeque sub Aemathiis 3) Macedo dux praelia signis
Gessit ovans; quae Scipiadae 4), duo fulmina belli;
Quaeque per Ausonias vastator Punicus oras
Ingenioque manuque potens; quae Julius armis
Pompejusque ferox, per quos invisa tyrannis
Romuleas ausa est primum violare secures.
Nascitur his epulis animi solertia; quaeque
Nutrimenta capit, rebus divisa gerendis
Distribuit. Quodcunque scholae Plato tradidit olim,
Hoc facis esse tuum, dignisque laboribus aptas,
Quidquid Epicteti calamo profluxit honestum,
Socratico quidquid fudit Sapientia partu,
Quidquid Stoa tacens, quidquid vocale Lyceum
Tradidit, ac doctis Academia volvit Athenis; 5)
His animo majora foves, parvoque sub orbe
Corporis ingentem sapiens complecteris orbem.

Praevidere difficultates et superare.

Hinc recti pravique vias, finesque decori
Dedecorisque tenes, quas leges scribat honestas,
Quas natura ferat, quantum regina voluntas

---

1) Mnemosyne, memoria.
2) Achilles avo Aeaco genitus.
3) Macedonia olim Aemathia.
4) C. Scipio Africanus et L. Asiaticus ab avo cognomen tulerunt, qui patri senecioni vice baculi functus fuerat.
5) Academia, Lyceum et Stoa, pia instituta, ubi Athenienses philosophiam aliasque artes et scientias docebantur. In illa Plato, in hoc Aristoteles docuit, quorum libros de constituenda et regenda republica legere Principum interest.

Imperio, quantum subjecta potentia possit.
Quidquid agas, cautos praemittis ad ardua sensus,
Et libras momenta operum, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Suscepta negotia raro
Deseris; hanc nunquam de Te socordia victrix
Aut levis extortam tulit inconstantia palmam.
Adversos obices, et quae Te cunque morantur
Vincula, perrumpis, nec tarda pericula frangunt
Incautumve tenent; prius haec praevisa subisti
Pectore, quam toleranda humeris. Discrimine laeta
Exsurgit floretque malis interrita virtus,
Et secura sui est, quidquid Fortuna minetur;
Pacis adulanti studio tranquilla quiescit.
Mars fremat, intrepidos extendet ad arma lacertos.
Insidiae circum, rabiesque, iraeque lacessant:
Disjiciet fraudes exarmatumque furorem.
Consilio nunquam caruit prudentia, nunquam
Auxilio nudata suo est. Deus arbiter aequi
Adfuit, objecitque suum Patientia scutum.

In bello ac pace Consilio ac manu promptum esse.

Te tamen ad belli leges distringere ferrum
Cernimus exsertumque pari componere laude
Pacis ad arbitrium. Seu Te vocet aula togatum,
Civilisque suis clausum respublica muris
Gaudeat; externis seu bella frementia regnis
Praesentemque manum, regnatoremque requirant:
Promptus ades, semperque tuus. Manus altera laurum
Fulmineam: placidam manus altera tendit olivam,
Pacis amans bellique potens.

Probatos aulae ac Reipublicae ministros deligere.

Sapientia nunquam
Deficit augustum pectus, seu publica cures,

Seu privata geras: regnum moderaris utrumque
Laude pari. Quicunque tuum latus assecla stipet,
Quique ministerio regalem dirigat aulam,
Hunc virtute probas; et quem diuturnior usus
Prudentem belli, pacis jurisque peritum
Commendat, primas adfert ad munia dextras.
Quemque sua prudens nosti componere sede.
Qui patrias consumsit opes, aeraria nunquam
Curabit; nec justitiam, qui venditur auro.
Non tibi Sejani molles vafrique Cleandri 1)
Aularum placeant domini, nec praedo relictus
Arcadio tutor, nec quem male protulit Austro
Infidus Stiliconem 2) Aquilo, qui saepe triumphis
Ornatam turpi maculavit sanguine Romam
Proditor, absolvitque suos mactatus honores
Supplicio digno. Multos rapit ardor habendi
Harpyis similes 3), quibus et reverentia juris
Et pietas vilis, populorum colla tributis
Pressa gemunt, spoliisque manus implentur avarae.
Sunt quos pulcher honos regni, et spectabile nomen

---

1) Sejanus et Cleander, ille imp. Tiberio hic, Commodo, ad summos honores Principibus adulando evecti, sed perpetratis innumeris malis, ipsis quoque, ut solent adulatores, Principibus perfidi, digna tandem sceleribus supplicia perpessi.

2) Theodosius imp. moriens Arcadio filio 18 annos nato Orientis imperium sub tutela Rufini Vasconis, Honorio Occidentem, tutore Stilicone Vandalo, reliquit. Sed ambo exhaustis, quo suam explerent avaritiam, provinciis, dominos quoque imperio exuere conati, dignas perfidia poenas dederunt. Hinc poëtae infidus Aquilo seu Septentrio Stiliconem Austro seu terris meridionalibus damno protulisse dicitur, simulque significatur, quam perniciosum sit Principibus, suam regnique salutem, spreta indigenarum virtute, extraneis committere.

3) Harpyiae, aves rapaces, virgineo quidem vultu, sed funestis unguibus, comparantur cum avaris regni administrandi ministris, qui Dominum fallendo et rempublicam depraedando locupletantur.

Principis insana raptos vertigine ducat,
Artifices fraudum, quibus est simulatio virtus;
Verba dolosa, fides; astus, solertia prudens.
Noverat Austriades 1) cautus discernere mores,
Et nudare dolos; perque explorata clientum
Munia sepositi penetrare abscondita sensus.
Sunt animi mores speculum; vestigia mentis
Index vultus habet. Mendax simulatio frontis
Nulla diu; ad proprios redeunt fucata colores.

Princeps, ut prudenter imperet, subditorum ingenia noscat.

Principis est novisse suos, ne durus amicis,
Hostibus occurrat facilis; ne praemia recti
Occupet improbitas, scelerumque innoxia plebes
Sentiat inflictas, noxarum munera, poenas.
Est regere atque regi bene magna ars, maxima certe,
Siquis utrumque potest. Multis servire necesse est,
Cui servit gens magna Duci. Non omnibus idem
Impetus est animis. Prius exploranda voluntas
Ingeniumque favorque hominum, quam stricta potestas
Imperet, ac rigido firmet mandata sigillo.
Non tamen arbitrio quovis pendere regentem
Fas erit; obsequium vulgi est. Nec prodere leges,
Sed positis parere decet. *Plebeïa nunquam*
Regna diu constant. Unum est respublica corpus,
Uno animo regitur; vita vegetatur eadem.
Sensus rector inest capiti; hic Sapientia sedem
Collocat, hinc motus partes sparguntur in omnes,
Hinc suus et membris decor est et idonea virtus.
Scilicet imperium magna ratione gubernas,
Carole, scis quantum mereatur mobile vulgus,
Et vulgi dominus; quantum generosa tuorum

---

1) Carolus, forma patronymica.

Nobilitas Procerum; quantum Germanus Ibero
Distet, ab Ausonio Francus, Batavoque Britannus.

Idonea cuique munia sunt imperanda.

Quilibet officiosus adest, humerosque fideles
Flectit ad obsequium. Tu Rex quemcunque probabis,
Te Regem quicunque probat: sua munia laetus
Viribus aequa suis, meritosque potitur honores.
Contemtum se nemo dolet. Quem robur ad arma
Atque ingens animus generosis imbuit ausis,
Hectora bellorumque ducem vis esse tuorum.
Quos placidi mores prudensque modestia comunt,
Hos vis rectores, his jussa palatia parent,
His paret suboles. Aulae moderator Iberae
Cum Belga est conjunctus Iber. Dux Italus armis
Imperat, Odrysiasque 1) manu contorquet habenas.
Hic firmus bellis exercitus est Tibi lectus,
Cui caput Italicum, Germanum pectus, Ibera
Dextera. Sic trucibus visus concurrere Mauris,
Sic Poenos terrere duces, sic Turcicus horror
Versus in oppositas Solymanno haerente, catervas. 2)

Imperatoris in bello solertia ac vigilantia.

Tu namque adjunctus rector rectoribus ibas
Sub ducibus miles; sub Te dux arma ferebat,
Accipiens quae jussa daret. Vidisse suorum
Adspectus, contra spectatum a milite Regem,
Pars pugnae felicis erat. *Dat gloria vires,*
Plusque potest praesentis amor, quam absentis honores.
Non deeras, ubi forte tuis Fortuna deesset

---

1) Odrysae, Thraciae populus, equorum domitores.
2) Cum Solymannum cum 300 millibus armatorum Austriae imminentem longe inferiori militum numero fugaret, et in bello Africano Muleassen, Tuneto expugnato, in regnum suum restitueret, Barbarossa Constantinopolim fugato.

Injurata comes. Te sollicitudo parentem
Ostendit miseris, solers vigilantia fratrem;
Visere castra pedes, tentoria promtus obire,
Pervigil a media somnum secludere nocte
Visus, et afflictis solatia ferre maniplis.
Consilio Tu saepe tuo, Tu saepe tuorum
Obvius admonitis, docilisque ac recta monentum
Tam facilis praecepta sequi, quam ferre sequenda.
Scilicet *hunc audit miles civisque regentem,*
Quem consulta regunt. Nullum tua fulmina sternunt,
Dum potes exarmare tuos sine cladibus hostes.
Consilio utilius quam viribus arma geruntur.
Et Mars arte valet; quisquis sine sanguine vincit,
Bis vicit; minor est civili bellica laurus.

Descriptio prudentiae.

O decus aeternum, nostri prudentia Regis,
Gloria regnorum, moderatae regula vitae,
Consilii lumen morumque magistra bonorum,
Virtutumque parens, tu mutua federa sancis
Pacis amans, placidasque regis tu legibus urbes,
Et juris momenta tuo tibi pondere libras,
Justitiae rectrix! Tu Martia porrigis arma,
Vimque jubes virtute premi, ferroque secari
Vulnera, si mollem detrectent ulcera dextram.
Tu procul ad positas intendis lumina metas,
Atque futura vides; tu finem tangis honesti,
Ante tuos, ratione viam praemensa, labores.
Tu tradis, quid quaeque sibi respublica poscat;
Quae leges aulam deceant, quas bella requirant;
Qui mores ornent Dominos, quae facta clientes;
Tu Regum consulta regis, cogisque vicissim
Membra caput, rursumque caput sua membra tueri.
Austriaden tu sola facis Regina potentem
Imperiis, illumque doces, quibus arma triumphis
Exornans, pressos formidinis impleat hostes.

Tu quoque bellorum fessam componere dextram
Pace soles, dignos que operum decerpere fructus.

Regalis justitia, ejusque partes et officia.

Aequa Themis tibi juncta soror praecedit euntem
Dux Heroa suum; quidquid progressus ad arma
Aggreditur Princeps, quidquid molitur inermis,
Ad juris praescripta regis: quodcunque colendi
Numinis officium primus sibi vindicet aether,
Quam poscant humana fidem, respublica curam,
Improbitas poenam, virtus ornanda favorem,
Quas leges Rex ipse sibi praefiniat aequi,
Quo libertatem mittat, quo limite stringat.
Haud secus aeterno dum conderet omnia verbo
Omnipotens, quod quaeque sibi natura poposcit,
Providus attribuit, pluvias arentibus herbis,
Et solem madidis, Zephyrum vernantibus arvis,
Et ratio donata homini: sua robora brutis,
At sine consilio; jussi parere leones,
Cornipedes sua frena pati, servire molossi,
Stare datis elementa locis, affundere terra
Germen, et acceptos homini mare reddere pisces.
Parvus in orbe Deus sit Rex; libramine justo
Libret cuique suum. Magnum sic inclytus orbem
Dirigit Austriades.

Religionis prolapsae instauratio.

Debent huic sacra vigorem,
Proh dolor! incultis dudum lugentia templis;
Debet Relligio, gravibus concussa ruinis,
His humeris subnixa diu, cum ferveret atrox
Haeresis, et sparsis involveret omnia flammis,
Cumque Cheruscorum 1) tremeret Germania turmis,
Et Catti furerent; cum nec sua flumina Rheno
Sufficerent, rabidos ignes nec frangeret undis

1) Cherusci pro Saxonibus.

Danubius; flammas vomeret pro fonte Visurgis,
Amisiusque suos cum fluctu volveret aestus.
Heu! quae deplorata fides exutaque sacris
Relligio dedit afflictae spectacula sortis!
Quas fudit lacrymas! quanto lamenta dolore
Sustulit, auxilium inclamans!

Italia et Hispania se opposuit nascenti haeresi.

Sonuere dolentes
Ausonidum valles gemitu, Tarpejaque rupes
Reddidit indomitos miserando murmere planctus.
Visus et Eridanus submersis volvere ripis
Flumina, turbatasque Tibris confundere lymphas
Tempestate nova: tumidis reboare procellis
Auster, et oppositos Boreae spumare furores.
Nec modo trans gelidas Alpes, sed et alta Pyrenes
Culmina, famosique vadum transgressus Iberi
Clamor tinnitu trepidantes perculit arces.

Religio profligata variis in Germaniae locis.

Attonitum procul Austriaden rapuere tumultus;
Nec mora, tendentem dextras et moesta gementem
Approperans Divam solatur, talia fatus:
Heu! quam te vides miseram, pulcherrima quondam
Relligio! quae tantorum est tibi causa malorum?
Quo decus antiquum, quod bis septena tulere
Secula, quo tantae delapsa potentia Divae?
Tune ea, quae Solymas olim Regina tenebas,
Quamque Palatina quondam Petrus arce locatam
Extulit, et geminum regnanti subdidit orbem?
Quo priscus defluxit honor? quo lilia frontis
Purpureaeque genae, roseisque corallia labris?
Quis male foedatam praedo seu turpis adulter
Talem ausus violare fuit? Da scire dolorem,
Ultor ero. Sensim vires animumque recepit

Diva, verecundos tollens ad sidera vultus
Austriadenque suum: Superos innoxia culpae
Testor, ait, non me scelerum contagia culpant:
Immeritam lacerant, poenas sine crimine poscor.
Unus homo, qui tam gravium fax prima malorum,
Opprobrium nostrae gentis fideique nefandus
Transfuga, vesano stimulatus pectoris oestro,
Vim fecit, spoliumque meo detraxit honori.
Hinc mihi Saxoniae gentes, hinc proditor Albis,
Hinc Lichus insultat, contraque audacia Nicri
Danubiique caput spumantibus erigit undis.
Rhenus abit Viadrusque retro, Moenusque vagatur
Devius, et placidos corrumpit Lupia fontes.
In me quisque suas inimicis fluctibus iras
Despuit, invisamque Petri quatit unda triremem.
Da, precor, auxilium! nec enim te fortior heros
Ferre potest. Tibi subversas procumbet ad aras
Haeresis, obstrictasque dabit violentia palmas.
Mitis ad haec Princeps blandis solatia verbis
Reddit, et exserto Superos mucrone precatur:
Divi! siqua fides, quidquid concessa potestas,
Visque animi et dextrae poterunt, afflicta meretur
Relligio; miserae totum hoc impendere certum est.
Sic voveo. Dabit haec scelerum, dabit improba poenas
Haeresis, extendet fractas ad vincula dextras,
Et pressa cervice gemet: nisi sponte remissum
Consiliis flectat perversa superbia collum.

Bello Religionis catholicae hostes oppressi, Saxone et Hasso capto.

Sic ait, et fremitus circum clangorque tubarum
Concursusque virum lato terrore resultat.
Hinc ruit infestis Hassorum exercitus alis,
Inde ruit plebs Saxonicis collecta maniplis.
Arma fremente manu rapiunt. Quocunque videres,

Hostis erat. Pars Austriaden furibunda petebat,
Pars violenta manus sacris injecit avitis,
Atque suis avulsa tholis simulacra trahebat
Numinis, et ruptis Divorum lipsana 1) claustris,
Argentumque aurumque, Deo per multa dicatum
Secula, sacrilegis raptabat perfida dextris.
Haec Evangelii pietas nascentis, honorque
Relligionis erat. Diro hoc molimine Caesar
Excitus, celeres rapit ad pia praelia turmas.
Parva fuit manus: ast magni stetit agminis instar
Carolus, hostilesque animo praesente phalangas
Arcebat. 2) Qualis Spartana ex gente Melampus 3)
Celsus obit munitque gregem, ne forte luporum
Insidiosa fames, rabiesque inimica capellis,
Incustoditam rapiat, sine vindice, turbam.
Tum si forte Lacon, aut vasta stirpe Molossus
Se comites jungant, contra imperterritus urget
Ore lupos, lacerosque rapit mordacibus armos
Dentibus insistens, donec vel saucia condat
Terga specus, vel praeda solum prostrata cruentet.
Non secus Austriades dux auxiliaribus armis
Fortior adversas, mutata sorte, catervas
Pressit ovans, victorque fuga disjecit aperta.
Ille Cheruscorum Rector Fridericus atrocem
Fortunam in vinclis gemuit, similique Philippus

---

1) Sanctorum reliquiae.

2) Saxones et Hassi Carolum, componendis Religionis controversiis intentum, subitis armis imparatum aggressi opprimere potuerunt: ille vero exiguo milite horum conatus tamdiu elusit, donec par viribus distractos ultro ac seorsim invaderet. Brevi, deinde Fridericum Principem, in Saxoniam secutus, praelio victum in vinculis, Philippum autem Hassiae Dominum, supplicem ad pedes ac deinde captum habuit.

3) Melampus, Lacon et Molossus, nomina canum, ille a nigris pedibus, hi a gente Spartanorum et Molossorum, qui nobilissimos canes alebant, denominati.

Hassorum Dominus collum intractabile fato
Subdidit, incerta vix libertate potitus.

Religio instaurata.

Ergo fides relevare caput, sparsosque capillos
Nectere Relligio, nec desperare salutem;
Templa suum revocare decus, sacra lapsa vigorem;
Nec deerat pietatis honor, nec cultor avita
Captus lege. Pius spoliatis Carolus aris
Supplicium, Divis et munera larga ferebat.
O quoties pronus Superis flagrantia fudit
Udis vota genis! quoties singultibus aras
Impulit ac tacitis duxit suspiria fibris,
Ad miserans ut confugiat Germania Numen!
Ut antiqua fides, vastis concussa ruinis,
Staret abhinc, pietasque locum subnixa teneret!
Non ego, si docti mihi mens divina Maronis
Sublimes dictet versus, mea carmina factis
Exaequabo tuis. Quondam praestantior hostes,
Nunc laudes superas vatum. Tibi Romulus armis
Concedet, pietate Numam superare videris.
Regulus occumbat, Deciique ferantur in hostem
Praecipites: minus est patriam servare cadendo;
Stantis major honos. Marii celebrare triumphos
Laurigerasque comas, vinctosque ex more tyrannos,
Fas aliis fuerit: victoria pulchrior illa est,
Quae dolet afflictum, quamvis prostraverit, hostem.
Scilicet, affectus animi moderatus iniquos,
Te prius expugnas, victusque in praelia tendis,
Clementerque furis pugnans, ut parcere possis,
Et sine clade noces. Respublica nulla tyrannum
Te victore timet. Primas clementia partes
Semper agit, mollitque aequos admissa rigores.

Respublica agrorum cultura, commercio et litterarum studiis iterum florens.

Vidimus afflictos, Carolo dominante, colonos
Fortunam revocare suam, squalentia passim
Arva subinjectis reparare novalia stivis.
Vidimus advectis ditari mercibus urbes,
Quas Indus, quas dives Arabs, quas ultimus orbis
Funderet, et nostris industria traderet oris.
Vidimus et mutas iterum resonare palaestras
Musarum studiis, montisque biverticis undam
Limpidam inexhaustos sitienti mittere fontes.
In laudes se larga tuas affundere Phocis
Gestit, et Aonios Phoebus offerre labores,
Et vatum satiare sitim. Tu prodiga rerum
Materies, seu Te videat pax alma togatum,
Sive sagum repetas: felix Te quisque beatum
Praedicat, exoptatque miser.

Liberalis Princeps.

Quibus affluit arca
Privatis opibus, quos dant aeraria census,
Participant alii, nil non commune potiris.
Muneribus tua pauperiem solatur opimis
Dextera, subsidioque inopum tibi vilius aurum est.
Divitibus quidquid Nereus 1) Tibi fluctibus adfert,
Pactolusque rubente vado, pretiosaque fulvis

1) Nereus tropice pro commercio maritimo et auro ex America reportato. Pactolus et Hermus in Lydia, Hydaspes in India, amnes auriferi; posterior Nabataeus, i. e. Arabicus, propter viciniam dicitur, secundum Strabonem et Hieronymum, qui regionem circa Euphratem sitam usque ad mare rubrum Nabatenen vocant, quamvis, Stephano teste, Nabataea in Arabia felici quaerenda sit.

Hermi Nais aquis, quidquid Nabataeus Hydaspes
Proluit auriferis per stagna tepentia venis,
Instar aquae censes, affusa refunditur unda;
Largiris, quaecunque capis. Sit Iberia dives
Fluctibus, Hesperioque Tagus fluat aureus amne:
Tu fluviis melior, Princeps, censeris Iberis;
In miseros partiris opes. Hae ditibus undae
Dant aurum, rarumque capit plebs indiga fructum:
Ast larga bonitate tua recreatur egestas.
Quas bellum consumit opes, victoria rursum
Colligit; hostiles armata potentia gazas
Praeripit, ac praedis inimicas exuit urbes.
Praemia quisque ducum: Caesar supremus honorem
Felici sub Marte refert; nec munera belli,
Ipsa Tibi virtus pretium est.

Amor boni communis.

Sat credis honestum,
Quod patriae Te poscit amor, quod publica suadent
Commoda, quod miseranda rogant discrimina vulgi.
Immemorem Te saepe Tui propriaeque quietis
Novimus oblitum; per densa pericula tendis,
Ut populi avertas, et propria commoda spernens
Curas, ne miseras vexent incommoda gentes.
Tu verus patriae pater es: parere ministri
Gaudent, vel cum dura jubes: quaecunque putantur
Aspera, mollit amor; rigidas in crimina poenas
Quantumvis offensa manus distringat, amare
Crederis, et tantum noxas odisse malorum.

Scelera a bono Principe secundum leges punienda.

Quem leges damnant, hunc tu damnabis et ipse:
Nimirum *Dominis toleranda injuria non est;*
Nam fovet indulgens sceleris patientia vires.

Impunita trahit socias audacia noxas.
Quam lenis medicina nequit, dat saepe salutem
Dura manus; rigidum secat ulcera putrida ferrum,
Perfusumque acri vulnus coalescit aceto.
Nec morbis idem modus est, nec moribus idem.
Certa suis est herba malis. Quae mollibus aura
Imbribus arentes nuper ditaverat agros,
Nunc ruit importuna satis. Aquilone rigente
Saepe opus est, pestem Zephyri vexere foventes.
Sic prodest nocuisse manu quandoque regenti,
Et parsisse nocet. *Vitiis ubi munera dantur,*
Oppido tunc rarus fuerit virtutis amator.
Praemia virtutem maneant, et crimina poenae.

Bono Principis exemplo componenda Respublica.

Ipse etiam populi Rector ne mollius in se
Urgeat imperium. *Regem parere, decorum est,*
Cum leges mandata ferunt. Bene jura clientum
Imperat, exsolvens sua; qui bene stringit habenas,
Is patitur. Talem Austriaden miramur in aula,
Talis castra regit. Legum decreta bonarum
Non magis imperio, propriis quam moribus urget.
Praecipit exemplis, ac plus persuadet agendo,
Quam mandando probat. Non hunc simulatio turpis
Fallit adulantum, qui propria commoda quaerunt,
Dum laudant, quaecumque facit, male facta Regentis.
Principibus plerumque suus Sejanus 1) *in aula est.*
Sit Regis lex prima Deus: sic inclyta quondam
Austriaden Themis erudiit. *Rex regna gubernat;*
Reges ipse Deus; servitque creata potestas
Sub majore minor. *Princeps lex viva suorum*
Et recti speculum est; imitatur facta Regentum

---

1) Perfidus Tiberii adulator et minister, de quo antea.

Tam praesens aetas quam postera. Pluribus idem
Moribus ut prodest sanctis, ita peccat iniquis.
Iuncta potestati probitas confirmat honorem.
Nititur hac stabilis fundata potentia Regum,
Hac constat secura quies, *cum crimine regnum*
Omne breve est. Solio male conjunguntur eodem
Improba libertas atque inconsulta potestas.
Post male calcatas leges, plebs calcat honorem
Principis, et spreti vilescit gloria sceptri.

Princeps probos Satellites habeat, et amore magis quam terrore subditis imperet.

Ne Dominum perversa suum custodia cingat,
Flagitioque favens; *justi, quem stipat iniquus,*
Nomen habere nequit. Foveat probitatis amantes,
Qui cupit esse probus; rectos quicunque tuetur,
Se quoque defendit Princeps; quique invidet aequis,
Invidet ipse sibi; facilem mereatur amorem
Plebis amore suo. Regis bis nomine gaudet,
Qui populos animosque regit; nam corpora vulgi,
Indignum Domino est, tantum parere jubenti,
Obluctari animos: gratas amor arte catenas
Injicit, et faciles rapit ad mandata clientes.
Arma tegunt, sed saepe premunt: custodia virtus
Optima; munitur melius Rex gentis amore.
Nam quaecunque metu Dominis subjecta reguntur,
Stare diu nequeunt. *Nil cum formidine tutum est.*
Mutatur cum sorte metus, dolor arma ministrat;
Exstimulat trepidas solers audacia vires,
Nec timor obsequii custos diuturnus habetur.
Quos genuit natura pares, quandoque reducit
Arbitrio Fortuna suo, vulgusque regenti
Exaequat, Dominosque facit parere subactis.

Invidiae expositi sunt regentes.

Non deerunt hostes, quamvis lex regula factis,
Quamvis meta Deus fuerit. *Res optima quaeque*
Invidiae cibus est. *Livor pulcherrima carpit,*
Pessimus interpres. Multis invisa potestas
Et regni titulus, multis suus indole Princeps
Displicet. *Ingenio cujusque placere regentem,*
Pulchra quidem res est, sed corvo rarior albo.

Plebi Rex nec durus, nec nimium familiaris esse debet.

Non aspernetur tenues, sit promtus adiri,
Iustitiaeque tenax, promissa implere paratus,
Comis in alloquio, vultuque ad verba sereno:
Sed mores gravitas, majestas digna loquelam
Temperet, abrumpatque rudis consortia vulgi;
Obfuit hic nimium. *Veneranda potentia Regum*
Misceri cum plebe nequit. Praesentia Regis
Non, nisi rara, juvat. Proceres spectentur in urbe,
Sintque aures oculique Ducis 1), quibus omnia lustret,
Omnia scrutetur, nequid discordia turbet,
Insidiae violent, scelerumque audacia peccet.

Princeps doctorum libros, qui sine affectu sunt, debet consulere.

Consultor sit saepe Plato, sit saepe Lycei
Cultor Aristoteles, Senecae 2), post fata loquentis,
Os videat, cupidisque animis oracula condat.

---

1) Nempe viri sapientia, virtutis et veritatis amore conspicui: non vana titulorum mendacitate insignes, non Sejani, Cleandri, Rufini, Stilicones, qui Principem et populum perdunt.

2) Qui omnes de recta rempublicam administrandi ratione scripserunt.

Ut bene sit vivis, defunctos consule, Princeps!
Sic solus, non solus eris; consulta, favore
Atque odiis caritura, leges; se nemo dolebit
Rejectum, nemo consultor munera poscet.
Haec Astraea 1) suo documenta ferebat alumno.
His ubi munitus fueris, deforme putabis
Majorem imperio, virtutibus esse minorem.

Principem omnibus aequum esse oportet.

Tu regni sol, Magne, tui es. Sol cetera vincit
Sidera, Tu cunctos superas virtute clientes.
Hic orbi sine labe micat: sapientia summa,
Rex, tua praelucet cunctis. Sol omnibus idem
Terrigenis: Tu Germanis, Tu Rector Iberis
Romanisque idem, opposito splendescis et orbi.
Vivifico totum mundum fovet ille calore:
Tuque favore foves. Sol annua tempora coelo
Digerit, et vernis distinguit floribus agros,
Messibus aestates, auctumnos fructibus implet:
Tu quoque donorum largus sua jura colonis,
Praemia militibus, civi commercia defers.
Per Te cultus ager tibi vectigalia reddit,
Aequa tamen; per Te defensae civibus urbes
Defendunt Dominum, per Te dat curia leges
Et recipit, justumque fovet, justoque fovetur.

Doctis et probis honor exhibendus, humano vultu, candido animo ac minime doloso.

Quo pietas Te sancta vocat, quo Ecclesia Mater
Tu sequeris. Per Te sacrae reverentia mitrae,

1) Jovis et Themidis filia, justitiae et scientiarum praeses, Astraea sive Egeria, i. e. Dea Luna, Numae Pompilio consilia dedisse dicebatur.

Doctorumque refulget honos: sic dirigis omnes,
Ut melior per Te regat is, quem laurea Musae
Eximium decorat, quemque infula clarior ornat.
Diceris Ausonidis prono vestigia vultu
Observasse Patris 1): stupuit Te Roma potentem
Demissumque simul; quem majestate timorem
Hauserat armata, blando commutat amore,
Postquam oculis vanae didicit mendacia famae.
Non Gothico terrore trucem, non, Attila 2), vultum,
Non, Alarice 3), tuum, rigida cervice minantem
Carolus ostendit; sed quem divina potestas
Finxerat augustum specie, sine nube serenum.
Frons Germana fidesque Tibi, quam nescia fraudum
Simplicitas, nudusque doli velamine candor
Exornat niveus; non Te fallacia voces
Fingere, non mendax docuit simulatio vultum. 4)
Hostibus arma palam, non pacis imagine tecta,
Non occulta geris; pugnamque odiumque professus
Exseris, intentoque prius das vulnera ferro.
Nec Laërtiadae 5) fraudes, nec Epeïa vafrae

---

1) Nempe Pontificis Clementis VII., quem sibi infensissimum, Roma a Borbonio expugnata, merito captivum tenuit, sed postea, injuriarum singulari humanitate oblitus et cum omnium admiratione intime reconciliatus, honoravit.

2) Attila Rex Hunnorum, qui per Germaniam et Italiam ita rem Christianam afflixit, ut flagellum Dei diceretur.

3) Rex Gothorum qui Romam occupatam evertit, quo nomine et alius postea ejusdem gentis Rex, Roma potitus, Italorum insidiis circumventus interiit.

4) Mira fuit Carolo animi recti et aperti simplicitas, et mendacissimi sunt acatholici historiarum compilatores, qui partium studio caeci et fontes historiae Austriacae minime perscrutati, Carolum simulationis incusant.

5) Ulysses Ithacae et Dulichii Rex contra Trojam inter Graecos dolorum artifex. Epeus equi lignei fabricator, cujus dolo Trojam captam fabulantur.

Artis dona probas: quod viribus ausus Achilles,
Quodque Hector virtute, tuum facis aemulus heros.

Fortitudo.

Est rutilis aliquod spatium sublimius astris,
Noctivagae trans Lunae orbes, infra Jovis astra
Regia, belligeris sedes heroibus apta:
Hic Martis domus est, armamentaria Divi
Hoc posuere loco. Fulgent hic aera Tonantis,
Thoraces clypeique, hastaeque, ensesque minaces,
Queis Briareus Coeusque jacent, vastusque Typhoëus
Centimanusque Gyas 1); Victoria mille tropaeis
Vexillisque ornata sedet, manibusque coronas
Exhibet, et meritis implectit serta capillis.

Armati descriptio.

Hos memorant somno raptum, juvenilibus annis,
Te subiisse locos. Stipaverat inclyta Virtus,
Herculeusque Labor comes huc deduxit euntem;
Et facies aulae placuit, placuere feroces
Armorum species: rapuit manus altera torvam
Bellonae galeam, gladium manus altera duxit,
Quo quondam Perseus secuit trucis ora Medusae.
Loricam Mars ipse Pater cervicibus aptat,
Vulcani sudantis opus, factusque Cyclopum
Arte labor; stygiis mersam induraverat undis,
Et rutilos Indo limbos induxerat auro;
Aerato reliquum corpus vallavit amictu.
Qualis in Odrysiis bellator maximus oris,
Dura Corinthiaco vestitus membra metallo,

---

1) Gigantes, qui in Phlegraeis Thessaliae campis coelum montibus congestis impugnasse feruntur. Hic narratur somnii juvenilis auspicale praeludium: non quae reapse Carolo obvenerint.

Ipse Getas Thracesque suos praecedere visus:
Talis eras, talem cupido Victoria mater
Strinxerat amplexu. Meus, inquit, Carole Princeps,
Filius et victor patriis dominabere Belgis,
Hesperiaeque tuae. Dabit haec, te vindice, poenas,
Atque rebellantes constringent vincula dextras.

Bello domita Germania et Italia.

Quantumvis gravibus Germania saeviat armis:
Inferior virtute tua succumbet, et uni
Deferet imperium: submittent colla jubasque
Succussator Equus trepidique ad vincla Leones, 1)
Et Cattus pavidos in nodum colliget ungues.
Gallica marcescent detractis Lilia sertis 2)
Et frontis victricis honos, Franciscus Iberos,
Quos sibi promisit victori, captus adibit,
Castraque carceribus mutabit, serta catenis.
Roma tuis etiam quassata ferociter armis
Depressa cervice gemet, sacrasque tiaras
Proteret immissis ultrix Bellona maniplis,
Horrebisque tuum facinus. 3) Terrebitur Auster, 4)

---

1) Saxones per equum, quem ferunt in insignibus, ut Bohemi aliique Germaniae populi per leones indicantur. Cattus, vetus Hassorum nomen, ad catum alludens.

2) Franciscus Galliae Rex in bello Italico ad flumen et urbem Ticinum (quam et Papiam vocant) a Ferd. Piscario, Davalo et Car. Borbonio Gallo, Caroli ducibus, captus, ac deinde a Lannoio Regis apud Neapolim vicario sua sponte, ut cum Carolo praesens pacisceretur libertatem, in Hispaniam ductus.

3) Cum Pontifex Clemens VII. non modo cum Caroli inimicis sacrum, quod vocabant, foedus iniisset, imperatorem dominiis Italicis defraudaturus, sed et Franciscum Gallorum regem sacramento, quo Madriti Carolo se obstrinxerat, impie solvisset: Caesaris absentis miles, Roma impetu capta, et sacris profanisque ultrici manu (nam dux Borbonius urbem fortiter invadens ceciderat) ob justam vindictae causam violatis, Pon-

Quo te cunque feres, Insubria 1) porriget hastam,
Deponent Veneti clypeos, Florentia parmam. 2)
Serviet Eridani dominantibus herba capillis,
Ticinusque novas plectet Tiberisque coronas.

Africa devicta.

Victrices armata Thetis trans aequora classes
Provehet, ac Siculas implebis navibus undas,
Oceanumque premes Libycum. 3) Tibi litora sternet
Africa victori supplex, tibi Poenus Elisae
Heres, Aethiopesque nigri, Numidaeque feroces

---

tificem et tredecim Cardinales in castello sancti Angeli captivos tenuit, donec magno auri pondere se redimerent. Facta autem pacis conditione Clemens captivus manere debebat, usque dum pacta impleret, quod ut quam brevissimo et vellet et posset, Carolus per Hispaniam supplicationes decrevit. Sed Clemens contra datam fidem et foederis sanctitatem personatus e castello aufugit. Hoc Caroli justissimum factum non solum ab aequalibus illorum temporum Historicis, qui partium inimicarum fuerunt, sed a recentioribus quoque Acatholicis maligne luxatur, inter quos Robertsonus maledicentia et falsitate eminet, dicens: Employing an artifice no less hypocritical than gross, he appointed prayers and processions throughout all Spain for the recovery of the Pope's liberty, which, by an order to his generals, he could have immediately granted him.

4) Italia.

1) Mediolanum, unde Franciscus ejectus.

2) Quas occuparunt urbes Status Ecclesiae Veneti, eae recuperatae, et Florentia, pristinam Libertatem inhians, domita et iterum Medicis subjecta.

3) Quae maria Carolus trajecerat. e Sicilia, Neapoli, Melita, Sardinia et Hispania eductis navibus contra piratas Tunetanos, omnia maria et littora infestantes, in Africam egressus, unde victis Afris, amico Muleasse in regnum restituto, et viginti millibus Christianorum servitute liberatis, victor recessit, imposito prius Golettae praesidio, quo maria imposterum a Tunetanis tuta redderet.

Et Cyrenaicus celer, et Nasamonius atrox,
Victima Martis erunt. Pavidae tremet altera gentis
Carthago, quam Tunetum dixere nepotes,
Et Tartessiaco 1) pandet sua moenia sceptro.

Asia territa.

Te, quicunque bibit Pontum Tanaisque fluenta,
Quosque lacus Maeotis alit, quoscunque Propontis,
Armatum metuent. Tu formidata tyrannis
Tela animosque geres, et de victore triumphum
Victor ages, dominosque tibi servire videbis.
Sic ait, et roseis admovit basia labris.
Jamque viam retro Princeps cessurus abibat,
Cum subito laetos resoluta tonitrua plausus
Insonuere Duci: late Cyclopea spargunt
Fulmina Coelicolae. Siculae tremuere Charybdes,
Scylla suos resoluta canes immugiit undis.
Tela trisulca ruunt, sparsas bibit Africa flammas,
Et Tunetanis flagrant incendia campis;
Nec procul hinc noster Princeps a littore Poeno.

Fortis in bello inferendo.

Vobis siqua fides, Afri, est: exponite pugnas
Austriadae! vester memoret certamina miles,
Et quae belligeris surgant monumenta tropaeis;
Quidque triumphatis Muleasses debeat oris,
Debeat Hesperio Regi. Depingat et agmen
In Poenos armatorum fidenter euntûm,

---

1) Hispaniensi, ab urbe Tartesso seu Carteia, olim in Hispania Baetica a Phoenicibus condita: Tarsus et Tartessus (unde et hodierna Tortosa) Hebraeis portum et urbem maritimam, Carteja urbem significat.

Cedentemque retro Maurum, Numidamque fugacem;
Urbibus admotum vasto molimine Martem,
Portarumque obices et fractos viribus Afros.

Fortis in Naufragio et hostium impetu sustinendo.

Nec minus Algerium referat tumidumque procellis
Nerea, divulsumque suis a sedibus aequor
Austriaden contra, dum classis Iberica portum
Naufragiis Afrasque jacens implevit arenas,
Jumentorum hominumque graves perpessa ruinas. 1)
Quam tristem potuit cladem Mavortius Heros
Infracto spectare animo, potuitque natantes
Irato in pelago tabulas, animasque suorum
Fluctibus obluctantum atris, et inulta cadentum
Funera tantorum socius perferre laborum.
Hinc immite furit trucis inclementia venti,
Tempestas hinc saeva maris coelumque solumque
Eripit, et dubias rapit in diversa carinas:
Inde suas Poeni cumulant Numidaeque sagittas,
Et ferro miserae geminant spectacula gentis.
Nulla salus, non unda gravis discriminis expers,
Non tellus secura mali. Superaverat omne
Sors mala consilium: sed enim Fortuna minaci
Virtutem incurvare potest, non frangere pulsu.
Constitit Austriades, qualis Nasamonia rupes
Sustinet iratum rabidis assultibus aequor,

---

1) Infelicissima fuit posterior Caroli contra Africam expeditio, quam injurias suis illatas ulciscendi praecupidus, mari auctumnalibus jam tempestatibus periculoso, et contemtis Andreae Doriae monitis, contra Algerienses piratas inauspicate susceperat. Exercitu partim naufragiis, partim fame, inundationibus et hostium jaculis amisso, vix salvus cum paucis in Europam rediit, exemplo suo posteros moniturus, ne suo aut imprudentium hominum consilio praecipites, contra virorum sapientium monita, populorum salutem pessumdent.

Telorumque imbrem, quamvis extrema minetur
Effera barbaries, quamvis adversa furorem
Exacuant elementa suum: sine nube, serena
Magnanimi frons una Viri est, tantumque procellae
Non feriunt pectus. Quassatis integer ipse
Sufficit ordinibus praesens, collapsaque fulcit
Exemploque praeit: redeunt ad signa manipli,
Et, quamvis metuenda, pudet metuisse clientes,
Cum Dominum perstare vident, contraque flagrantes
Bellorum furias tempestatumque ruinas
Obfirmare animum. Qualem dum forte leaenam
Circumstant rabidique canes hastaeque feroces
Venantum, trepidant catuli sub matre latentes,
Exoptantque suae spelaea silentia sylvae.
Ut tamen erectam contra spumare parentem,
Cumque viris terrere canes, ac spernere saevam
Tela inimica vident: redeunt in membra calores,
Et crudi teneros acuunt ad vulnera rictus,
Dum sua venator frustratus spicula cedat,
Rostra canum revocans. Catulos tunc tuta leaena
Colligit, et facili gaudet digressa triumpho.
Talis in armata miles statione locatus
Durabat, magnique premens vestigia regis
Nunc stabat, nunc retro pedes cum laude ferebat.
Sic conjuratis undantia marmora 1) ventis,
Coelorumque hominumque minas ac spicula fregit
Unius Herois virtus. Victoria victi
Caesaris haec reliquos transcendit sola triumphos.

Carolus Fortuna minus quam virtute niti solitus.

Ille Philippiades, 2) Persarum victor, et horror
Indorum signis obiit victricibus orbem,

---

1) Ob splendidam aquae superficiem mare a poëtis marmor dicitur; μάρμαρος enim Graecis candidus, splendidus significat.
2) Alexander Magnus patre Philippo, ut et Carolus, natus.

Sed Fortuna suo vexilla volantia flatu
Extulit impellens, faciles cessere procellae,
Unda rates vexit, positosque in gurgite pontes
Sustinuit, nullasque dedit Rhamnusia 1) plagas.
Nostra Philippiaden dant secula sorte minorem,
Majorem virtute sua; minus ille laboris,
Hic plus laudis habet: magis est mihi dignus honore,
Cui virtus, quam cui statuit Fortuna tropaeum.
Mens excelsa Tibi, sublimibus aemula coelis,
Cordis in arce sedet, quae, dedignata latere,
Nec vulgi strepitus, nec inania vota moratur:
Immortale decus sequitur, famaeque theatrum
Occupat. *Illustris virtus est semen honoris,*
Et calcar virtutis honor; fax mentis honestae
Gloria, nec quaesita tamen; fugit illa sequentes,
Umbrarum similis, tantum fugientibus instat;
Aeternas Tu cogis opes mortisque tributo
Exemtas, quas nulla lues, nigrumve venenum
Corripit invidiae, nec sortis spicula tangunt.
Quae patriae Tibi suadet amor, quae dictat honestas,
Quae legum decreta monent, quae gloria Divûm,
Promtus adis, dextramque regunt consulta potentem.

Magnificis templis opes impendens.

Cernimus erectas terris assurgere moles
Mirandorum operum, celsis palatia muris
Excrescunt, divumque aedes fastigia tollunt,
Et subeunda tuis praeeunt ad sidera votis.
Sic effundis opes. Contemtis, optimus heres,

Forma patronymica genuina est Philippides, sed poëtae nostri forma Homeri exemplum prae se fert.

1) Nemesis seu Iustitia distributiva, quae peccantes poenis subsequentibus persequitur, Rhamnunte, Atticae pago, celebre templum habuit, inde Dea Rhamnusia.

Ipse Deus gazis colitur; gaudetque profuso
Posteritas auro, gaudent pietate nepotes.

Patiens laborum et tolerans sui offensarum.

Nec patienda fugis; quae sors te cunque dolentem
Afflixit, nunquam potuit superare medelam.
Pharmaca vulneribus quaeris, *patientia multis*
Sufficit una malis. Si morbi corpus adurgent,
Mens erecta Tibi constat vincitque ferendo.
Si te Fama nigris inimica adverberet alis,
Pellis noctis avem 1) vacuasque remittis in auras,
Et surdos repetit verbosa Calumnia ventos.
Principe magnanimo minor est injuria quaevis;
Spiritus alta petit: sic Te nec longa ferentem
Tempora, nec variis lassant incommoda noxis.
Spes firmat nutantem animum, regiturque futura
Praesens sorte dolor; mens, immortalia volvens,
Despicit elatis mundi ludibria votis.

---

1) Ut Fama albis, sic nigris alata pennis Calumnia, seu Fama inimica, fingitur. Cum Carolus pro suo Imperatoris officio res novas in Ecclesiasticis Germaniae institutis fieri prohiberet, et Franciscum Galliae Regem, aliosque jurum suorum inimicos oppugnandos haberet: fieri non potuit, quin adversariorum improba convicia in se concitaret, quae recti conscius nobili animo sprevit. Gliscit ad nostrum usque tempus eadem scriptorum extraneorum mendacitas: nos autem nondum habemus opus ab Historico critico atque eloquentiae et historicae artis perito Germanice scriptum; non quia desunt ingenia, sed quia, quae vastissimam hanc materiem disquirere styloque veraci et eleganti scribere possent, oppressa in eum rediguntur statum, ut scribere nequeant. Itaque libri historici ab obtrectatoribus Religionis catholicae et Austriacae Domus improba falsitate consarcinati, in manus nostrorum adolescentulorum dantur, ut, quod summo revereantur amore, mature vilipendere discant.

Maximilianus I nepoti adolescentulo regalis sapientiae monita praecipit.

Haec tibi, dum teneris aetas pubesceret annis
Jam sceptro propior, fertur praecepta dedisse
Caesar avus, memorique animo fixisse tenenda:
„Care Nepos! sensim fragili succumbimus aevo;
„Mox te regna vocant, nobis decedere jussis.
„Cogor abire throno, vanescit gloria mundi,
„Sola manet virtus. Sceptris opibusque potitur
„Nemo diu, vanos brevis hora reposcit honores.
„Vive juvante Deo, majorum secula vincens
„Vivendo, atque orbi pius aurea secula profer!
„Sis belli pacisque decus, virtutis amicus,
„Justitiae cultor! doceat te grandia avorum
„Grandis honos, atque in tabula spectata Rudolphi
„Fortis imago Ducis, quem Gens Habspurgica primum
„Protulit imperio! *Vanae ludibria famae*
„*Innixos proavis fallunt*, *sine laude*, *nepotes:*
„Sed tua nobilitas propria virtute probetur.
„Haec neque fulcitur sceptris innixa potentum,
„Nec metuit depressa sibi; procul abdita turpi
„Ambitione, nitet, nullos suspirat honores
„Anxia; nec vacuae captat mendacia famae,
„Laudis avara suae, nec inania ponderat auri
„Praemia: sed magna celsi de pectoris arce
„Despicit, abjecto quidquid miramur in orbe.

Fama, opes et honores, virtuti non semper negligenda.

„Attamen oblatos non aspernata favores
„Fortunae, potiturque bonis fruiturque labore,
„Audirique cupit. *Virtus alimenta requirit;*
„*Quae latet, haec paucis prodest;* quam velat egestas,
„Sordida despicitur; quam gloria deserit, haeret.

„Admittat, non quaerat opes: sit gloria donum,
„Non merces; veniant, non accersantur honores.
„Non spectanda quidem, sed nec spernenda potenti
„Fama viro, quae tam vitiis afflata nigrescit,
„Quam ducit niveos socia probitate colores.

Sibi ipsi imperet, qui aliis recte imperare volet.

„Haec meminisse juvet: Regni quicunque theatrum
„Ingreditur, dignos componat principe mores
„Ad populi arbitrium; *spectantis consulat orbis*
„*Judicium; minus errabit, quicunque probari*
„*Vult populis sua facta Regens.* Quicunque timetur:
„Is timeat, quamvis legum observator et aequi.
„Constituenda tibi primum est dominatio mentis.
„Sint famuli sensus, rationis serva cupido,
„Ira furorque flagrans sint servi, serva libido.
„His minor indignas quisquis concedit habenas,
„Servit in imperio, Regisque amittit honorem,
„*Tot, quicunque regit, submittit colla tyrannis,*
„*Quot paret vitiis.* Aliis praescribere leges
„Et calcare datas; poenis adstringere sontes,
„Indulgere sibi, innocuos affligere cives,
„Spernere de patria meritos, decorare scelestos,
„Ornare immeritos, virtutibus indigenarum
„Praeferre externos blaterones, imperiique
„Commissam erroni venali tradere sortem,
„Summae injustitiae res est et digna tyranni,
„Non regis. *Cave, quae Rector damnaveris ore,*
„*Suaseris exemplis: verbis haec fortius urgent.*

Clementia in poenis adhibenda.

„Nil tibi peccanti indulgens ignosce, sed urbi
„Saepius; et *vires non experiare nocendo,*

„*Qui Princeps vis esse bonus.* Tibi siqua dolebunt,
„Mitiget offensam justasque remissio poenas;
„Atque etiam parcendo feri; facinusque puteris,
„Non odisse homines: *populi vix cura tyranno est,*
„*Qui sceptrum, non vulgus amat,* qui regna timore
„Firma quatit, rursumque sua formidine captus
„Concutitur. *Metuit Princeps, metuitque tyrannus:*
„*Iste suos, ast ille suis;* timor alter amoris
„Fungitur officio, vindictam sustinet alter.
„Fit quandoque nocens, qui vult punire nocentes;
„Qui scelus iratus plectit, sine crimine non est.
„*Sis licet offensus, peccanti parce clienti;*
„*Confero divino mites cum Numine reges.*
„*Qui calcare queunt hostem, parcuntque jacenti.*
„Quantumvis rapiat rabiosa ignobile vulgus
„Seditio caecusque furor: clementia telum
„Saepe fuit, quo fracta ruit discordia gentis.
„Ut fera bladitiis capitur, sensimque leones
„Submisere jubas, dominorum jussa sequuti:
„Sic placidis verbis feritas plebeja quiescit,
„Et bona mens ratioque redit; non intonat Auster
„Semper, nec tumidi turbant maris aequora fluctus.
„*Praeceps ira moram, spatium indignatio poscit.*
„Quam resecare nequit consulta potentia culpam,
„Dissimules. Medici quoque non sanabile vulnus
„Sanavere mora; quandoque et tempora prosunt.

Regnum prudentia et civium amore firmatur.

„Quamvis te regem numeroso milite stipes:
„Non satis his munitus eris, prudentia si te,
„Si pietas, si certa fides studiumque tuorum
„Destituant.

Aulici suum magis bonum quam regni et regis quaerunt.

„*Paucos Regum deducit ad aulam*
„*Regis amor patriaeque salus.* Sibi quilibet ipse
„Proximus est. *Quicunque gerit pro Principe curas*,
„*Curat et ipse sibi: nemo sine munere servit.*
„Obsequium hic donis, alius metitur honore.
„Indiga nobilitas, quae nil nisi praemia quaerit,
„Adstat ab officiis. *Rufinis creditur aula*,
„*Arsenii* 1) *fugiunt; queis nulla cupido, sequuntur*:
„Tu revoca, quibus est probitas, sapientia, virtus.
„Nam commissa salus populi et fortuna clientum
„Deposcunt oculos vigilantes consiliumque;
„Et *tibi de regno rationes esse memento*
„*Reddendas olim divino Numine coram.* 2)

---

1) Arsenius Ecclesiae Romanae diaconus, illustri loco natus et litteris clarus, anno 383 a Pontifice Damaso Constantinopolim missus est, ut ibi Arcadium, majorem Theodosii imp. filium, litteris imbueret. Sed cum Arcadius, animum scientiis et virtutibus, quae principem decent, excolere negligens, a patre Theodosio vehementius reprehenderetur: enervis discipuli animus, ad iram proclivis et vindictae cupidus, eo sceleris exarsit, ut Arsenii vitae insidiaturus famulum ficarium subornare non dubitaverit. Arsenius, hujus rei certior factus et filii malignitatem apud patrem accusare nolens, clam aufugit atque in Aegypti desertum se contulit, ubi, degeneris seculi perversitatem detestans et pietati unice deditus usque ad aetatem 97 annorum vitam produxit, inde exire recusans, cum post Theodosii mortem, ut ajunt, Arcadius misso ad eum nuntio cum epistola, omnibus poenitentiae notis referta, piissimum virum magnis promissis ad se invitasset.

2) Hoc piissimum consilium qui sequitur Princeps, nunquam ad subvertenda jura divina atque humana inducetur a malis consiliariis, qui suo adulatorum commodo student, ac de dominio alto atque eminente regiae majestatis jure garrientes, omnia Principi licere, neque divinis rationis et revelationis praeceptis illum teneri, improbe fabulantur, usque dum, pessumdatis justitiae praeceptis, et regem et regnum pessumdent.

„Rex bonus et justus, communi clarus amore,
„Laudibus aeternis fruitur coelique coronis.
„Obtineant sacram pietas doctrinaque mitram;
„Nec populi Sacris vulpinus hypocrita praesit,
„Cui mage sunt cordi reditus quam cura salutis.
„Consule, Nate, viros sanctos rerumque peritos!
„*Consilium, mens et ratio senioribus insunt*,
„Quos studium doctos, quos experientia cautos
„Reddidit: indoctos qui consulit, inde dolebit. 1)
„Hoc probior quis erit, quo doctior esse probatur;
„Culta etenim ratio divinum accedere Numen
„Sola potest, ut divinae pars unica mentis.
„Cedat adulator 2), placeat tibi vera locutus.

---

1) Qui Rex contemnit viros provectioris aetatis, scientiis et probitate conspicuos, intellectu et judicio maturos, longa experientia doctos, ac potius adolescentulos facit consiliarios, is sequitur Roboami exemplum, de quo, cum regnum perderet, sacra Biblia ajunt: Secutus est consilia juniorum. Veteribus in administranda republica fuit senatus, non pueratus, qui consilium daret.

2) Quanto opere Rex bonus caveat deceptores consiliarios, qui junctis plerumque fraudibus Principem fallunt, hoc Flavius Vopiscus luculento docet exemplo: „Ego (ait) a patre meo audivi, Diocletianum Principem jam privatum dixisse, nihil esse difficilius quam bene imperare. Colligunt se quatuor vel quinque, atque unum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt; dicunt quod probandum sit. Imperator, qui domi clausus est, vera non novit, cogitur hoc tantum scire, quod illi loquuntur; facit judices, quos fieri non oportet: amovet a republica, quos debebat obtinere. Quid multa? ut Diocletianus ipse dicebat: Bonus, cautus, optimus venditur Imperator."

Eamdem veritatem docet apud Julium Capitolinum Gordiani III. scripta ad socerum epistola, in qua leguntur haec verba observatu dignissima: „Nunc demum intelligo, multa non esse facienda quae feci: sed Diis gratias, quod te insinuante didici ea, quae inclusus scire non poteram. Quid enim facerem, quod nos Maurus venderet, et consilio cum Gaudiano et Reverendo et Montano habito, vel laudaret aliquos vel vituperaret, et illorum consensu quasi testium, quod di-

„Dent poenas, plebem qui denudare studentes
„Difficilem reddunt injusto fenore victum,
„Cara annona ubivis scelerum est fecunda genitrix,
„Virtutem exstinguit, laudandas opprimit artes.
„Nemo fere procerum subit ipse pericula, cautus
„Publica ut amoveat; paucos commune periclum
„Angit et afflicti mollit miseratio vulgi.
„Haec cura est Regis, cunctorum vulnera sentit;
„Communemque bonis se vult ostendere patrem.
„Providet ignavis simul ignarisque malorum
„Membris saepe caput. *Quem nil incommoda tangunt*
„*Civica, non praesit.* 1) *Cunctis prodesse deorum est,*
„*Atque boni Regis.* Nec facti praemia quaerit,
„Sufficit ipsa sibi virtus. Procul omne tributum
„Durius, et qui fulva gravent aeraria census;
„His male firmatur fulcris onerosa potestas.
„Nobilis et locuples tribuat, non pauper et exsors.
„Si cives opibus, si virtus floret honore:
„Princeps dives erit, gaza haec est optima Regum,
„Qua regnum firment. Sparsi per membra calores
„Totum corpus alunt: stomachum malus opprimet humor,
„Cum moles nimium gravat indigesta ciborum,
„Obtunditque caput. Fulvi congesta metalli
„Materies curis animum noxisque fatigat,
„Nec Regem sinit esse bonum: *virtutibus aufert,*
„*Et praebet vitiis damnosa pecunia vires.*
„Ex desideriis rerum mensura petenda est:
„*Semper eget, quicunque cupit.* Rex semper abundat,
„Cui satis est, quidquid fortuna suprema ministrat.

---

xerat, approbarem? Mi pater, verum audias velim: miser est imperator, apud quem vera reticentur: qui cum ipse publice ambulare non possit, necesse est ut audiat, et vel audita, vel a pluribus roborata confirmet."

1) Muneri publico a Principe non praeficiatur.

„Nec cupide externis inhies, sine jure, coronis,
„Sufficiet quod sorte tuis diadema capillis
„Implexum est. Magnis justo majora periclis
„Semper regna patent: crebrae per vasta procellae
„Aequora funduntur; quae vertice surgit in altum
„Immoderata nimis, patitur saevissima quercus
„Fulmina, et iratis magis est obnoxia ventis.
„Obvia regnorum quicunque pericula norunt,
„Haec fugiunt; *cupidos facit ignorantia Reges.*
„Fulgor opum titulique leves ac splendidus error
„Decipiunt. Asiae postquam subjecerat orbem
„Magnus Alexander, doluit superesse coronas,
„Nec sibi subjectas. Persae jungantur Achivis,
„Indica Medorum sceptris: nihil esse putabit;
„Et voto deerit, quidquid possederit alter.
„Te Proavi meliora docent. Exempla Rudolphus
„Jure capessendi sceptrum, virtute regendi,
„Firmandi pietate dedit. Vestigia tantum
„Pressa tene, felixque tuas moderabere gentes."
Haec memorabat avus: celsa tu mente reponis
Dicta senis, promtusque tuos rationis habenis
Stringis ad obsequium mores, populumque benigno
Colligis imperio. Rabies nunc improba Turcae
Poenorumque subacta jacet; nunc haeresis atram
Exspuit infelix bilem, nec atrocia Martis
Fulmina pacificam complent terroribus auram.
Tendit adhuc pugnax nec quicquam in praelia Gallus;
Et subigendus ovat.

Epilogus.

Post tot discrimina rerum,
Post belli pacisque vices, jam proximus astris,
Mortalisque satur vitae, contemnere noli
Quod fortuna dedit, noli deponere sceptrum,
Quod virtus tribuit, prudens solertia rexit,

Defendit pietas, mitis clementia fovit;
Hoc te supplicibus poscit Germania votis,
Quique bibunt populi Scaldim, quicunque rapacem
Eridanum, celebri quicunque rigantur Ibero,
Cunctorum vox una petit Te, Carole, Regem.
Quod si forte tamen regnorum mole gravatos
Exoneres Atlas humeros: Germania fratrem
Postulat Alciden; *Fernandi* nomine gaudet.
Sic etenim consulta ferunt oracula: „Nunquam
„Teutonicum imperium *Fernandis* stantibus aras
„Diruere, et Gothicae submittere colla securi,
„Sed fore victricem patriis virtutibus aulam
„Austriadum." 1) Quaecunque tamen fortuna sequetur:
Posteritatis honos, ac magnae gloria famae
Stabit, et aeternas referet clementia lauros.

---

1) Poëta jure suo occupat, quae posteriori tempore acciderunt. Cum Masenii aetate Torstensonus, Suedorum dux, anno 1645 iterum in Bohemiam irrupisset: Beata Virgo Ferdinando III. per quietem apparuisse dicebatur, victoriam contra Suedos (hic Gothos) pollicita. Itaque oraculum cecinisse ait, Stantibus Ferdinandis Germaniam nec aras subversuram, nec Suedorum armis collum subdituram, sed Austriae arma fore victricia.

